

centi: e in questa il nome di *privilegium* subentra a *largietas* con la sostituzione di termini. (Si cfr. il testamento di Giustiniano Particiaco al n. 53).

In nomine domini nostri Ihesu Christi, mense madii, indicione duodecima, Rivoalti. Sanctarum ecclesiarum semper vigili cura oportet satagere, maxime illis, quorum potestas eminent de omnibus, est providere consultum. Quoniam quidem Iohannes venerabilis abbas monasterii sancti Servoli Dei caterva sui cenobii postulavit nostra suffragia, eo quod in loco angusto constituti et infra paludes manentes Deo Christo deservirent, possessionibus carentes, unde victui necessaria subministrarent, postulantes ut ob Christi et sanctorum amorem eisdem subsidium et iuvamen de hoc impertiremur, atque ideo nos quidem Agnellus et Justinianus, per divinam gratiam Venecie provincie duces, una cum reverentissimo domino Fortunato sancte Gradensis que et Aquileiensis ecclesie patriarcha, seu Christophoro, venerabili episcopo sancte Olivolensis ecclesie, atque universis Venecie populis habitantibus plebe Christo dilecta eiusque precioso sanguine acquisita, quapropter nos pro divino amore ac nostre anime sive parentorum nostrorum salute pari ac salubri consilio tractantes, cogitantes cogitavimus, qualiter idem Dei servus, Iohannes nomine, presbiter et monachus atque abbate cum se conjunctis fratribus de predicta ecclesia beati Christi martiris Servoli transferentes, quo loco transmutari deberemus vel quo ordine vivendi pacifice perpetualiter ponere posseremus, ad nostram devenit memoriam, ut capellam quandam in honorem beati Iuliani confessoris Christi super flumine, qui dicitur Une, ad jura proprietatis nostre cum suo territorio constructam sibi concedentes quieto vivere possent tramite, eo ordine quo decet beati Benedicti regule, ita tamen ut ipsa supradicta ecclesia beati Christi martiris Servoli in sua ac suorum successorum perpetualiter retineant potestate et custodia, suosque monachos sive clericos ibi constituant a[d] diurnum sive nocturnum peragendum officium et, quicquid ad suorum usum necesse habuerint, ipsis vel successoribus eorum eis subministrent, et ipsis eis